DE PARTU POST MATRIS MORTEM SPONTANEO.

ACCEDIT APPENDIX
EXHIBENS VENEFICIUM ARSENICALE
NEC NON
RESPONSUM FORENSE.

AUCTORE

CAROLO GUSTAVO MAIZIER

MED. ET CHIR. DR.

SUMTIBUS AUCTORIS.

BEROLINI MDCCCXXXV.

IN COMMISSIS A. HIRSCHWALD.

INTRODUCTIO.

Duo exempla partus post matris mortem, quae pater in praxi medico-forensi observavit et praeter alia de hac re collecta mecum communicavit, ut hocce de argumento dissertationem inauguralem conscriberem, me impulerunt. Ceteroquin unumquemque bene promeriturum esse confido, qui ad illustrandum illud phaenomenon mirificum, partum innuo post motris mortem, cui medici hucusque non tantum attentionis dicarunt, quantum rei dignitas expostulat, quidquam conferre studeat. Quaecunque enim de illo phaenomeno hactenus innotuerunt, in singularibus fere observationibus huc illuc dispersis, iisque succincte atque obiter enarratis, cernuntur. Passim quidem tales observationes collectae in lucem prodierunt, at completa omnium exemplorum hucusque observatorum enumeratio atque recensio, cum variarum explicandi methodorum epicrisi, adhuc desideratur. Recentiori quidem tempore tres commentationes, in hanc rem fusius inquirentes, editae sunt:

1) Merkwürdiger Fall der Geburt eines reifen todten Knaben von einer todten Mutter, mit hinzugefügten Bemerkungen von Dr. *L. Mende* (1),
2) Ueber die Geburt nach dem Tode, deren Ursache u. Bedeutung, von Dr. *Klaatsch* (2),
3) *Niethe*, Diss. inaug. de partu post mortem. Berol. 1827,

verumtamen desideriis supra memoratis, pariter ac scripta prius edita, minime satisfaciunt.

Exemplum vetustissimum (3), quod partum post mortem attinet, apud *Valerium Maximum* (4) legimus: »Gorgiae quoque Epirotae, fortis viri, clara »fuit origo, qui in funere matris utero elapsus, in»opinato vagitu suo lectum ferentes consistere coe»git, novumque spectaculum patriae praebuit, ex »ipso genetricis rogo lucem et cunas assecutus:

---

(1) In dessen Beobachtungen und Bemerkungen aus der Geburtshülfe u. gerichtl. Medizin. 1. Bd. 1824. S. 105.

(2) In Henke's Zeitschrift f. d. Staatsarzneik. Jahrg. 1826. 3tes Vierteljahrheft. S. 23.

(3) Vix memoratu dignus ille videtur mythus, quem Ludov. Caelius Rodiginus (Lectionum antiquarum libri XXX. Basil. MDL. Fol. lib. 20. cap. 25. p. 787.) describit: „In Tegeatum agro est mons Cresius nomine, in quo fuit Aphnii sacellum. „Nam ubi cum Aerope congressus est Mars, veluti memorant Te„geatae, natus inde Aphnius, matri nihilominus inhaesit, partui „quamvis immortuae, ac ex uberibus vi numinis paterni multum „copiosumque lac suxit. Qua ratione in Deos translatus, Aph„nios, i. e. dives, fertur nuncupatus."

(4) Dictorum factorumque memorabilium Lib. I. Cap. VIII. No. 5.

eodem enim momento temporis altera jam fato functa parit, alter ante elatus quam natus est.«

Post hunc casum brevissime enarratum, qui um verus fuerit nec ne, in suspenso relinquimus, l medium usque saeculum decimum sextum, simile quidquam nullibi descriptum invenitur. Inde ero ad saeculi decimi septimi finem multa istiusnodi exempla a medicis relata sunt, tum vero, quod irum videtur, secutum est intervallum quinquainta annorum et quod excurrit, intra quod nullus edicorum, quod equidem scio, observationem huc pectantem evulgavit. Exeunte demum saeculo duoevicesimo talis casus post longa silentia palam fa-us est, quem per intervalla plures secuti sunt, artim obiter enumerati, partim pro varia auctorum entiendi ratione illustrati. Longum illud intervalum, per quod hac de re silentia agebantur, limim satis aptum inter observationes vetustiores atque ecentiores constituit.

Primum igitur exempla antiquiora, dein recenora, quam accuratissime potero, enumerabo et comarabo, tum varias explicandi methodos examini itico submittam; denique probare conabor, phaeomenon, de quo agitur, una tantum eaque simplici atione posse explicari, semperque eandem causam subesse.

EXEMPLA VETUSTIORA.

I. Antiquissima, quae exstat, observatio an MDLXVII innotuit. Foemina gravida, quam ur cum marito milites Hispani suspenderant, quatuc horas post gemellos alacres edidit (5).

II. Similem casum tradidit *Salmuth:* »Pro »Halam Saxonum nobilis quidam iter faciens perd »bulgam ex ephippio dependentem. Hanc reper »foemina quaedam gravida; obvium haec habet cl »ricum quendam, cui monstrat hippoperam, eamq »se reperisse ait. Bene, ait ille, et illam paulisp »comitatus interficit, capite prorsus abscisso, p »ramque secum aufert. Nobilis hanc amissam for »percipiens, via illa revertitur, foeminam reper »interfectam et quidem gemellos enixam.« (6).

III. Eodem in libro de foemina agitur, »qu »anno MDCIX in ipso partu diem suum placidi »sime obiit. Post hujus obitum tertio die mulier »infantem, et quidem puellam mortuam, in defu »ctae matris sinu jacentem, non sine admiratio »atque stupore in sandapila reperiunt, quae pos »modum brachiis matris inclusa terrae simul ma »datur.« (7).

---

(5) Diomed. Cornarii histor. admirand. rar. Hist. XI pag. 47.

(6) Phil. Salmuth, Observat. med. Cent. II. Observ I. pag. 60.

(7) Ibid. Observat. 54. pag. 47.

IV. Agitur porro de foemina, »in qua in partu exstincta editum fuisse paulo post ingentem fragorem et cum illo quoque foetum mortuum exclusum« narratum legimus (8).

V. Denique ibidem de »Tobiae Rhochae in marchia conjuge, quae in partu, hora secunda noctis moritur; media tertia pomeridiana foetus in lucem editur.

VI. *Thomas Bartholinus* (9) duo descripsit xempla: »Uxor Nicolai cerevisiae coctoris in nosocomio Hafniensi gravida legitimum gestationis terminum morte antevertit sex hebdomadibus. Illa mense Octobri MDCLIII defuncta, foetus utero inclusus mortuus credebatur; hinc ad sepulturam omnia componuntur, lavatur cadaver, linteamina sepulchralia corpori rigido inducuntur et modo funerali arcte cadaveri assuuntur. Sic sepulturae dicatus dies exspectatur. Post horam a morte quadragesimam octavam intumuit abdomen thoraxque, et ruptae ferales interulae, corpori emortuo assutae, et lochia copiosius prodire visa. Attonitae adstantes foeminae accurrunt, diductisque cadaveris cruribus ex maternis claustris eluctantem vident puerum masculum, elegantem omnibusque numeris perfectum, sed mortuum.«

VII. Idem loco citato enarrat, anno MDCXXVIII

(8) Ibid. Cent. II. Observ. 36. pag. 75.

(9) Histor. anatom. Cent. II. hist. 99. pag. 304.

dum ipse Lugduni Batavorum moraretur, gravida quandam, quae suffocatione sese interimere cona fuerit, in mortis agone infantem esse enixam.

VIII. Idem in Actis Hafniensibus obtulit »l »storiam de uxore rustici in pago Tronninge, qu »ex partus difficultate misere obiit, cum foetu »eniti non posset, frustra conantibus obstetricib »tribus. Biduo fere elapso praeter omnium exsp »ctationem sua sponte foetus cum impetu erup »sed mortuus« (10).

IX. *Christophorus Röseler* hunc apposuit c sum: »Domina de Anneberg fuit gravida; instan »mense ultimo coepit se male habere, dimidia v »hora elapsa moritur. In superiori parte vent »striae nigrae post mortem erant conspicuae; tert »die foetus mortuus ab ea egressus est« (11).

X. *Röseler* hanc observationem alio confirm exemplo, »quod Olaviae anno MDCLXV cuida »uxori accidit: Illa instante partu, epileptica mo »tua, cum corpus mundaretur, ecce infans, jam »tero die mortuus observatus, ex improviso egr »diens decidit ab illa« (12).

XI. *Guilelmus Harvey* (13) obiter exempli a

(10) Act. Hafn. Vol. II. Observ. 35. pag. 92.

(11) Ephemer. Nat. curios. Dec. I. Ann. 3. Observat. 3 p. 461.

(12) Ibid. pag. 462.

(13) De generat. animal. de part. pag. 517.

ujus mentionem facit: »Mulier quaedam apud nos (compertum narro) sub vesperam mortua in conclavi sola relicta est, mane autem sequenti inter femora ejus repertus est infans, qui proprio nisu exitum sibi procuraverat.«

XII. *Joann. Heidfeld* haec refert: »Quidam cum mortua uxore pararet exsequias, dictu mirum, exstinctae matris ab utero, subito emisso claro va- »gitu, salvus et incolumis pusio egressus est, »qui prius elatus quam natus fuit, cui cunas sepul- »chrum, vitam mors praepopere dedit« (14).

XIII. Apud *Philippum Höchstetter* (15) haec eguntur: »Deficit in partu uxor balneatoris, e »qua vicesima septima a morte hora cum sonitu »mortuus prodiit infans. Factum d. 30. Aug. 1615.«

XIV. *Joan. Matthaei* (16) casum descripsit, qui Weissenburgi accidit. »Uxor, inquit, *Simonis* »*Kreuteri* in nonum mensem gravida, supervenien- »tibus pariendi doloribus exspiravit. Cumque ad- »stantes putarent, foetum quoque exspirasse in »utero, mortuam, illorum quidem judicio, matrem »more solito in terram posuerunt, linteisque con- »tectam reliquerunt. At vero post aliquot horas »vagitum audiunt, accurrentes matrem quidem mor- »tuam, filiolam vero optime valentem ad pedes ma-

---

(14) Sphinx Theol. philos. Cap. XVII. pag. 247.

(15) Observat. med. Dec. VI. Cas. 3. pag. 686.

(16) Quaest. med. IV. pag. 21.

»tris devolutam reperiunt.« Hoc idem esse videt exemplum, cujus *Riolanus* his verbis mentione fecit: »Weissenburgi filiae ab utero exclusae va »tus exauditus vitae et incolumitatis causa fuit, q »nunc fruitur, Wessingae in marchionatu Baden »degens« (17).

XV. Praeterea *Matthaei* (18) alterum enarr exemplum: »Madritii nobilis quaedam matrona, »familia *Don Francisci Lasso* orinuda, postqua »per triduum in agone decubuisset, putantibus c »gnatis, eam mortuam esse, deportata fuit ad locu »subterraneum sepulturae destinatum. Post aliqu »autem menses, ostio sepulchri iterum recluso, r »pertum fuit cadaver priori in loco adhuc repos »tum, in dextro brachio infantem mortuam tenen »Unde apparet,» *Matthaei* addit, »dictam matronam »cum sepulta fuit, vere non obiisse, sed infelicer »infantem adhuc peperisse«. Eadem historia leg tur apud *Cornarium* (l. c.), ex quo postea *Rei* eam desumsit et in »campo elys. juc. quaest.« ena ravit.

XVI. *Joannes Vesling* (19) hunc descripsit ca sum: »Anno MDCXXXIII d. VI. mens. Januar »nobilis quaedam domina, partui septimestri vicina »cum foetus validum motum horis matutinis perce

---

(17) Anthropogr. Lib. VI. in praefat. Fol. 363.
(18) l. c. pag. 21.
(19) Observat. anat. VII. pag. 48.

pisset, epilepsia correpta circa horam nonam vespertinam obiit. Corpus defunctae stragulis coopertum in lecto, ut facies depingeretur, relictum fuit. Septimo dum haec fiunt, accedentes mulieres ventrem, renes dorsumque calidum reperiunt eum lecto, circa os pituitosus humor in labia stillare conspectus. Nocte sequente mulieres et duo sacerdotes juxta corpus vigilantes crepitum et rugitum quendam ventris defunctae, tum ejusdem ventris commotionem sursum et paulo post subsidentiam animadverterunt cum sibilo instar vagitus, sed metu perculsi non ausi corpus detegere. Adventante die idem sibilus adhuc per aliquod tempus auditus fuit, quod erat d. VIII. Januarii, quo inter decimam et undecimam horam detecto corpore invenerunt inter femora demortuae infantem masculum tepidum, labris rubentibus, adducto scroto minimo foetore praeditum, qui post temporis aliquod spatium rigidus et frigidus evasit.« Qui casus, quum plures controversiae agitarentur, medicis Parisienibus, ut sententiam ferrent, propositus est.

XVII. *Fabricius Hildanus* (20) ex *Henrici Stacedii* relatione hoc memorat exemplum, quod Coloniae acciderit: »Matrona gravida ex morbo acuto »mortua et loculo imposita, cum sequente die humanda esset et loculus ab obstetrice (ut, si forsan

(20) Hildani Oper. fol. 906.

»aliquid cruoris effluxisset, illum spongia exciper
»inspiceretur, foetus inter femora extra matric
»repertus fuit, sed mortuus.«

XVIII. »Anno MDCLIII in nosocomio H
»niensi post 48 horas a morte matris puer ex ut
»prodiit, uti ex *Henr. Watson* allegat *Chr. Fr*
»*Garmann*« (21).

XIX. »Mulier difficili partu laborans, viril
»prostratis et doloribus victa una cum infante
»vita excessit circa horam quintam vespertin
»Remota igitur e lecto et in aliud conclave tra
»lata, adhibitis custodibus jacuit per noctem usq
»ad horam tertiam matutinam. Tunc auditu mag
»crepitu infans mortuus, duos dentes anteriores
»ore habens, ex utero matris mortuae prodiit« (2

XX. *Joh. Christ. Menzel* (23) de gemell
»quorum alter uteri orificio inhaerebat, alter ve
»matre mortua viam exeundi in latus sinistrum s
»faciebat, observationem ex *Phil. Jac. Hartman*
»communicatione recenset. Hic foetus post 48 h
»rarum spatium, postquam mater e vita excesser
»excludebatur«.

XXI. Idem auctor l. c. casum memorat sim
limum antecedenti, quem cum *Albino Bernar*

---

(21) De mirac. mortuor. Lib. I. Tit. 9. §. 5. p. 262.

(22) Schenk Observ. med. Lib. IV. fol. 590.

(23) Ephem. nat. curios. Dec. III. ann. 4. Observ. 1
p. 251.

minus *Gosky* communicaverat: Matrona nobilis, um partus instaret, obstetricem et medicum arssi curabat; partus admodum retardabatur medisque pellentia fortiora imperabat, quo facto lipoymiae brevibus intervallis redeuntes matronae vim, priusquam partus absolvebatur, exstinxerunt. orpus defunctae straminibus imponitur; altero ane accedentes ad cubiculum, in quo corpus re psitum est; foetum adhuc inhaerentem matrici; alrum vero infantem juxta cubantem vident, qui er foramen palmaris fere longitudinis, in sinistro tere patescens, proruperat.

XXII. Admodum copiose *Ido Wolff* (24) hoc escripsit exemplum: »Anno MDCLXVII mense Julio, viginti circiter annorum, vasti corporis, uxor *Nath. Voigtii* junioris, medici filii, postquam in tertium annum sterilis vixisset in matrimonio, fit gravida. Ob vastitatem tamen corporis aliasque causas, omnes, etiam mulieris mater, de impraegnatione dubitarunt. Maritus vero aliquam con»cepit spem. Aliquo autem praedicti mensis die »doloribus corripitur illa parientibus familiaribus, »accedunt statim magna haemorrhagia, lipothymia, »anxietates cordis et brevi mors. Maritus statim post »obitum uxoris domum ex itinere rediens, gravis»simum, ut aequum est, mortem hanc repentinam

---

(24) Observat. chirurg.-med. Lib. I Observ. 41. p. 131.

»fert, et tristissimus circa lectum feralem versa
»Dumque sexta post mortem hora corpus defunc
»intuetur attentius, animadvertit aliquem motum
»abdomine ejus. Advocat igitur socrum, quid
»sit aperit et demortuae corpus vivum adhuc c
»tinere foetum sancte affirmat, adeoque me voc
»dum esse censet, quo partus ope caesarei foe
»in lucem prodeat. Illud autem socrus fieri deb
»constantissime negat, cum in opinione sua vid
»decipiatur, et quae plura sunt. Acquiescit itaq
»ille; verum enim vero, post 12 ab hoc motu h
»ras, adeoque 18 a morte, cum loculo defun
»imposita isque tectus esset, viduus eidem tris
»adstat, caputque cubito in loculum posito fulci
»observat magnam commotionem intus excitata
»convocat statim mulieres praesentes, aperitur l
»culus, et ecce infans mortuus, sed omnibus par
»bus perfectus, inter crura matris mortuae jac
»Crura vero hujus incurvata et in altum protrac
»visa sunt, extendique rursus non potuerunt, co
»pus etiam ad latus parum conversum fuisse o
»servarunt. Hanc rem, quemadmodum ea facta e
»cum omnibus circumstantiis viduus, amicus me
»singularis, mihi recensuit.»

XIII. *Godofr. Sam. Polisius* (25) haec refer
»Mulier quaedam rustica paulo ante mensem ingr

---

(25) Ephem. nat. curios. Dec. II. ann. 4. Observ. 42. p. 10

idationis ultimum laboribus domesticis nimis in-
enta et, uti putabatur, rupta, male habere coepit, accedente febre acuta: praeterlapsis paucis diebus diem suum obit moreque solito sandapilae committitur; elapso biduo foetus mortuus ad pedes defunctae matris provolutus cernitur«.

XXIV. *Christoph. Schroedter* (26) narrat: »Nobilis quaedam triginta circiter annorum, primipara, anno MDCLXXX post tot in partu per spatium novem noctium dierumque exantlatos dolores, foetu jam in utero putrescente, ut ex summo foetore constabat, nono die me in consilium vocat; sed frustra omnia, etiam ipsius unci applicatio, qui ob vires exhaustas succumbente natura in usum trahi non poterat; unde circa vesperam eodem die, quo vocatus eram, placide in domino exspirat. Adstantes igitur circa lotionem corporis laborant sollicitae, quicquid abluendae immunditiei esset, decernunt. Hisque et aliis circa curam talem exactis, foetum putrefactum ex insperato intra femora defunctae matris inveniunt, ultimo providae naturae conatu exclusum, quem nulla ars manusque adstantium sedula poterat promovere«.

XXV. Sequentem casum a *Joh. Georg. Hoyer*(27) narratum invenimus: »Foemina quadraginta anno-

(26) Ephem. nat. curios. Dec. II. ann. 4. Observ. 206.
(27) Ephem. nat. curios. Dec. III. ann. 3. Observ. 44. p. 50.

»rum, octies feliciter puerpera facta, nono puerp
»rio ingruente febre tertiana correpta, mireque
»paroxysmorum vehementiam debilitata, partu nu
»instante medios inter dolorum cruciatus, nond
»enixo partu, fatis concedebat. Tertia vero po
»mortem die, solio ut fieri solet condito, jamja
»sepelienda cum fragore foetum unaque magna
»humorum copiam excernebat, ore simul aperto li
»guaque ex faucibus emissa«.

XXVI. Teste *Ehrenfr. Hagendorn* (28) »ux
»mercenarii cujusdam Gorlicensis partim diffic
»tate partus, partim truculentia morbi morit
»Aliquot a morte horis foetus adhuc vitalis exitu
»moliendo uterique claustra perrumpendo vitales
»auras excluditur, sacramento quoque baptismat
»initiatus, re anno 1683, 12. Januar. acta«.

XXVII. *Georg. Detharding* (29) annotavit h
storiam »de foemina, cantori quae nupserat, atqu
»doloribus partus succumbens semihorula post mor
»tem puellam sanam ac haud deformem enixa est.

XXVIII. *Phil. Jac. Hartmann* (30) de part
refert, qui anno MDCXCIII Gerduni urbe bidu
post matris mortem elapso accidit, fidemque verbi

---

(28) Histor. med. phys. Cent. III. hist. 13. p. 297.

(29) Ephem. nat. curios. Dec. III. ann. 7 et 8. Append p. 97.

(30) Ephem. nat. curios. Dec. III. ann 4. Observ. 83 p. 178.

s facturus testimonium ab urbis illius magistratu
c de re scriptum addit. quod haec habet:

»*Wir Bürgermeister und Rath der im Herzog-
hum Preufsen gelegenen Stadt Gerdauen zeugen
Kraft dieses mit Grunde der Wahrheit ein, dafs
Michel Schefflers, eines hiesigen Bürgers und
Töpfers Ehegattinn, Namens Anna, ihres Alters
34 Jahr, nachdem sie hochschwanger und ihrer
Geburtsstunde in wenig Tagen gewärtig gewesen,
m verflossenen* 1693*ten Jahre, den* 30. *Julii als
Donnerstags in der Nacht, da ihr Ehemann ver-
eiset war, und nur ein Mägdgen bei ihr gelassen,
ndem derselben vermuthlich eine Ohnmacht zuge-
tofsen, mit dem Haupte aus dem Bette zwischen
einen nahe am Bette stehenden Kasten gestürtzet,
les Freytags, als* 31. *Julii, des Morgens gegen*
3 *Uhr von denen Nachbaren mit dem Kopfe auf
der Erde stehend, und mit denen Schenkeln an-
noch im Bette liegend, gantz erstickt funden wor-
den; weil nun die Anwesenden die Leiche sofort
auf eine Tafel geleget und besichtiget, so haben
sie befunden, dafs die Frucht annoch am Leben,
und merklich frisch gewesen: haben dahero in
ihrer Einfalt gleich mit warmen Scheiben die
Leiche an der rechten Seite, woselbst die Frucht
gelegen, erwärmet, und bis den folgenden Sonn-
abend. als* 1. *Augusti, damit continuiret, auch ge-
wahr worden, dafs die Frucht nach der Wärme*

»immer stärker sich beweget. In solchem Zustan
»ist die Leiche den 1. Augusti gegen Abend in
»Sarg geleget und offen gehalten worden;
»Sonntags Morgen aber gegen 3 Uhr hat die L
»che das Kind allererst von sich gelassen. Sob
»nun die Anwesende dieses vermerket, haben
»das Kind, so eine junge Tochter gewesen, glei
»aufgenommen, und eigentlich gesehen, daſs es no
»zweymahl mit dem Mündgen geschnappet und al
»bald verschieden; worauf denn die Mutter ne
»dem Kinde annoch denselben Tag christlich be
»diget worden. Ist also gewiſs, daſs das Kind
»der Leiche von 3 Uhr des Freytags, als den
»Julii bis an 3 Uhr des Sonntags, als den 2. A
»gusti, zusammen 28 Stunden gelebet. Welches
»mehrer Beglaubigung unterschrieben und besi
»gelt.»

»Gerdauen den 3. Julii Anno 1694.

Bürgermeister und Rath.

Praeter haec exempla viginti octo nullum vetustiori quodam descriptum mihi innotuit; colleg runt illa:

Christ. Vater, Dissert. de partu hominis po mortem. Vitemb. 1714.

Nymman, de vita foetus in utero. Vitemb. 172

Martin Schurig, Embryologia. Dresd. et Lip 1732. pag. 124 sqq. et 574 sqq.

Kulmus, de infantis partu post matris obitum. Gedani 1742.

Praeterea auctore *Haller* (31) scripta sequentia e hac materia evolvenda sunt:

Horst, histor. med. pag. 715.

La Motte, Observat. pag. 352.

Geuns, de eo, quod vitam constituit in corpore animato. Amsterd. 1758.

Albinus, part. difficilis. N. 3.

Hannöversche Seltenheiten. I. S. 131.

Storch, Weiberkrkh. T. V. S. 270.

Breslauer Samml. 1718. S. 1192 — 1722. T. I. S. 302.

Loci quidam in *Rolfinkii*, *Bruhieri* et *Levreti* criptis.

Quum scripta recensita non omnia in promtu abuerim, facile accidere potuisse, ut unam alteramve bservationem praetermiserim, ingenue largior. Num ero in omnibus exemplis enarratis revera partus uerit post mortem, infra dirimere conabor.

EXEMPLA RECENTIORA.

In enumerandis hisce exemplis, quantum po- ero, chronologiam sequar, ita quidem, ut utrumque asum medico-forensem a patre observatum ultimo oco describam.

---

(31) Element. phys. Tom. VIII. Pars 1. pag. 420.

1) *Mursinna* (32) arcessitus est ad parturientem, cui partum promovere jam per horas triginta sex frustra tentaverant. Partus ille fuit duodecimus, qui antecesserant undecim, omnes fuerant abnormes et infantum plerique mortui prodierant. Brachium foetus dextrum, admodum tumefactum ex matrice propendebat; ipsa quoque genitalia non mediocriter tumida atque inflammata apparebant, quia infantis versio saepe erat tentata. Tam haec quam parturientis reluctationes impediebant, quo minus brachium regereretur. Octo horis post foemina obiit, et quanquam de foetus morte non dubitandum videretur, tamen *Mursinna* ad erudiendos chirurgos synchondrotomiam et sectionem caesaream suscepturus erat, quod autem denegabatur. Postea, gemellos altero die sponte editos esse, comperit.

2) Matrona quaedam inter partum, ut videbatur, obiit ejusque corpus in loco aliquo repositum est. Quum in eo essent, ut in loculo eam ponerent, infantem mortuum, interea editum, conspexerunt. Quae historia obiter enarrata e scripto quodam medico Holmiae edito desumta est (33).

3) Anno MDCCXCIII Dr. *Sachtleben* ad par-

---

(32) Medizinisch-chirurgische Beobachtungen. 1 Sammlung. Berlin 1782. S. 162.

(33) Stark's Archiv f. d. Geburtshülfe u. s. w. Jena 1787. Bd. I. St. 2. S. 162.

turientem triginta et aliquot annos natam, ceterum sanam et validam, quae jam quater partum feliciter ediderat, arcessitus est. Maritus retulit, conjugem jam per biduum partus doloribus vehementissimis laborasse et obstetricem infantis situm transversum, praevio brachio sinistro, invenisse. Medicus obstetricius deinde brachium resciderat, frustraque manibus et instrumentis foetum emoliri studuerat. Quum Dr. *Sachtleben* advenisset, foemina ante decem horas obierat. Inspecto cadavere, abdomen admodum tumefactum, nec minus tumidas partes sexuales internas et, quod mirum, inter femora defunctae infantem mutilum atque mortuum invenit (34).

4) Eodem anno (1793) Dr. *Boerner* ad foeminam debilem valdeqne irritabilem, per novem menses gravidam, advocabatur, quae per aliquod tempus, terrore ac moerore praegressis, vehementes ventris dolores et vomitum conquesta erat. Instituta medendi ratione apta, primum affectiones mitescebant, tum vero ita augebantur, ut Dr. *Boerner* aegrotam, quartam circiter horae partem ante obitum, pallidam, extremitates frigidas, pulsum parvum, paulatim evanescentem, respirationem expeditam, dolores exiguos, oculorum obnubilationes, vocem sonoram, quae esse solebat, inveniret. Vix horae minutum ante mortem magna voce adauctam visus

(34) Stark's Archiv f. d. Geburtshülfe u. s. w. Bd. VI. St. 4. S. 561.

obnubilationem aegrota querebatur caputque multum reclinabat, qui positus post mortem etiam, rigente nimirum cervice, integra autem artuum flexilitate, retinebatur. Quum Dr. *Boerner* post quatuordecim horas cadaver reviseret, pone matrem, in liquore amnii foetidissimo, foetum ante bihorium, ergo duodecim horas post matris mortem, editum eumque perfectum quidem numeris suis, sed laxum marcidumque, reperit. Perinaeum ex toto erat ruptum, idque spatium, nec non arcus ossium pubis collo uteri prolapsi, durissimi planeque inversi, qui reponi non poterat, explebatur. Venter, jam ante mortem non mediocriter inflatus, tumorem duplo majorem, quam inter graviditatem, obtulit, ita ut a ruptura proxime abesset (35).

5) Uxor custodis ferarum sylvatici (game-keeper) in Anglia, quindecim annos nata, cui puerperium proxime imminebat, die solis in convulsiones incidit, quibus die lunae interimebatur. Quarto post obitum die infans maturus, sed mortuus, prodiit (36).

6) Aestate anni MDCCCII Misnae foemina, pelvi aliquanto deformi instructa, quum diu antea aegrotasset, inter partum obiit. Quum certa indicia

---

(35) Loder's Journal für Chirurg. Geburtsh. und gerichtl. A. K. Bd. I. St. 3. S. 519.

(36) Bell weekly Messenger. London 1802. 27. Septb. N. 337.

foetum jam ante matris mortem defunctum esse testarentur, medicus obstetricius in auxilium vocatus, infantem utero non excludendum censuit. Corpus defunctae, uti solet, asseri impositum, mox in putredinem abiit. Vespere diei secundi a morte foetus mortuus una cum secundinis exclusus inter matris jam putrescentis crura reperiebatur, imo sanguinis aliquid effluxerat. Hunc casum *Neumann*, qui tamen ipse eum non observavit, publici juris fecit (37).

7) *Klose* haec tradit (38): uxor cujusdam agricolae, graviditatis finem assecuta, morbo febrili exspiravit. Quum cadaver, in cubiculo repositum, tertio die ad sepulturam aptaretur, infans mortuus inter matris femora inventus est.

8) Uxor mercatoris, annum vitae agens tricesimum primum, autumno anni MDCCCXIII, quum plures per menses phthisi tracheali laborasset, sextum concepit. Quanquam Dr. *Schenk* omnia experiretur auxilia, morbus tamen ea incrementa cepit, ut tertia hebdomade ante legitimum puerperii tempus mortem induceret. Postridie, quum defuncta vestibus exueretur, nihil insoliti apparuit, tertio autem die, i. e. ultra horam quadragesimam octavam

---

(37) Hufeland's Journal. Bd. XXIII. St. 3. S. 166. Anmerk.

(38) Klose, System der gerichtl. Physik. Breslau 1814. S. 398.

ab obitu, foetus non mediocriter putredine correptus inter matris femora, secundinae autem in vagina sese obtulerunt (39).

9. Die XI. m. Aprilis A. MDCCCXIV Dr. *Muhrbeck*, ut opem ferret, ad parturientem triginta aliquot annos natam, ceterum sanam et validam, arcessebatur. Bis graviditatem jam absolverat, sed mortuos infantes inter convulsiones enixa erat; generatim dispositione ad spasmos clonicos, ultimam per graviditatem augescente, insigniebatur. Dr. *Muhrbeck* foeminam, cui jam sub meridiem antecedentis diei molimina parturientium cum spasmis clonicis atque tonicis supervenerant, paene in agone reperit. Versio ob situm infantis incommodum tentata contractionum uteri vehementissimarum causa perfici non poterat, foeminaque post meridiem foetu non excluso diem obiit. Postera luce infans mortuus inter matris femora inventus est (40).

10. *Henke* (41) mentionem facit exempli, a Prosectore Bernensi *Herrmann* enarrati (42), quo gemelli, in ovo integro bene conservati, triduo post mortem matris, sexto mense praegnantis febrique nervosa diuturna exstinctae, sponte exclusi sint.

---

(39) Hufeland's Journal d. prakt. Heilk. Bd. LII. St. 4. S. 97.

(40) Mende, Beobachtungen u. Bemerk. aus d. Geburtsh. u. gerichtl. Med. Bd. 1. S. 105.

(41) Zeitschrift für d. Staats A. K. 11tes Ergänz. Hft. S. 282.

(42) Im 2ten Bd. der mediz. chirurg. Zeit. von 1824.

11. Dr. *Ebel*, medicus forensis, ad explorandum cadaver mulieris circiter triginta annorum, quae ante longius tempus violentis affecta vexationibus obiisse putabatur, invitatus fuit. Jam prius foemina facili opera partum erat enixa et a secundae graviditatis fine circiter duas vel tres hebdomades abfuerat, quum mors supervenerat. Alteram per graviditatem bene valuerat, neque antea quidquam adversi passa erat. De morbi ultimi natura ejusque curatione nihil innotuit. Post mortem foemina per triduum sepultura caruerat, intra quod tempus nihil insoliti sese obtulerat. Loculo effosso atque reserato, inter femora matris, putredine admodum jam consumtae, cadaver non minus putrefactum infantuli reperiebatur; placenta proxime a vulva abfuit, modo exigua ejus pars cum tunicis adhaerentibus intra labia pudendi et vaginam adhuc restitit (43).

12. Dr. *Rudolph* in pago quodam prope Arteram sito foeminam juvenem exeunte graviditatis tempore febri intermittente apoplectica consumtam vidit. Horis sex a morte elapsis, postquam murmura in cadavere straminibus imposito homines arcessiverant, inter matris crura foetus maturus, at mortuus, deprehendebatur (44).

---

(43) Hufeland's Journal etc. Bd. LIV. St. 6. S. 72.

(44) Auszug aus dem Medizinalbericht des Königl. Preufs. Medizinalkolleg. der Provinz Sachsen. 1832. S. 55. — Wieder abgedruckt in der Med. Zeitung vom Verein für Heilk. in Preufsen. 1833. No. 16. Quamprimum

13. Dr. *Klaatsch* sequentem refert casum, qui, etsi dictum non est, utrum ab ipso, an ab alio observatus sit, certe recentioribus adnumerandus videtur. Matrona sex et viginti annorum, plures per menses belladonnae ope curata, concepit. Accesserunt capitis dolor ingens atque vomitus, quorum hic omnibus remediis tenacissime restitit, tertiaque demum ante mortem hebdomade visus hebetudini cessit. Quo facto ciborum appetentia ingens, cephalalgia intolerabilis evasit, coecitas exorta est morbusque in typhum conversus vitam exstinxit. Inciso cadavere, exsudationes, quas suspicari licebat, in cranii cavo non reperiebantur, cor flaccidum, corpus exsangue, putrescendi opportunitas permagna erat. Secunda post mortem nocte foetus quadrimestris ex tota maceratus cum placenta inter matris crura, uterus plane inversus inter labia pudendi prolapsus inveniebatur (45).

Haec tredecim sunt, quae invenire potui, exempla recentiora; quibus enarratis ea subjungam, quae pater mecum communicavit.

a. (14). Rusticus *Rheinsdorff*, Waltera-Nienburgensis, uxorem duos infantes jam enixam iterumque mense septimo praegnantem, exceptis pedum

---

iste casus divulgatus erat, pater litteris ad Doctorem Rudolph missis petiit, ut certiora et accuratiora de hoc exemplo secum communicaret; at responsum obtinuit nullum.

(45) Henke's Zeitschrift etc. 1826. 3. Viertelj. S. 45.

oedematibus nihil adversi querentem, veneno interficiendi consilium ceperat. Bis in sorbitionem ei oblatam pilulas muribus destinatas conjecit, nihil autem profecit, nam praeter vomitum nihil uxori accidit. Sexto demum die mens. Julii, quatuor hebdomades post primum, quatuordecim dies post secundum periculum, maritus funestum consilium exsecutus est. Jussa enim uxor sub horam matutinam quintam, etsi pedum tumoris causa, quo gressus impediebatur, illud primum recusaverat, jentaculum marito in agrum deportat. Qui dum comedit, uxorem aliquantum secedere jubet, intereaque pilulas arsenicales tam numerosas, ut arsenici albi circiter grana quatuordecim contineant, in relictam sorbitionis portionem conjicit, quam uxori comedendam offert. Non multo post nausea vomitusque accedunt; dum redit foemina, per totum fere pagum vomit et acerbissimos ventris dolores accusat. Mater aegrotae partum praematurum suspicatur, at obstetrix arcessita ventris dolores molimina parturientium esse negat. Symptomata continuo adaugentur, sub vesperam manus pedesque frigescunt, hora vespertina octava mulier exspirat. Horis viginti quatuor, magis autem quadraginta octo a morte elapsis, totum corpus tumebat atque nigrescebat et, quum nemo tunc temporis crimen commissum suspicaretur, die IX. m. Julii sepeliebatur. Neque cum in loculo defuncta poneretur, neque an-

tea de foetu excluso quidquam animadvertebatur. Aliquanto demum post, congruentibus variis rebus, suspicio mota est, famaque, mulierem illam veneno interemtam esse, ita increbrescere coepit, ut magistratus non posset, quin in defunctae maritum inquiri et prae omnibus cadaver effodi atque secari juberet. Pater meus cum substituto chirurgi forensis, assumtis pharmaceutis duobus, die VII. m. Augusti 1819, ergo die post mortem vicesimo nono, sectionem administravit.

Patefacto loculo, epidermis putredine passim in vesiculas elevata et ubique nigricans apparebat, tactu levissimo secedebat; prae ceteris crura, brachia et sternum nigrescebant. Manus dextrae digiti spasmo contracti, reliqui artus mobiles erant; oculi patebant languidi et subsidentes, venter mollis, mediocriter tumefactus, nusquam laesionis externae vestigium; *inter femora autem cadaveris foetus circiter septimestris, capite in faciem et ad genua converso, dextra manu ad caput elata, reperiebatur. Funiculus umbilicalis, semel collo circumvolutus, at putredine jam solutus, ipse foetus, imprimis caput, haud minus putredini obnoxius erat. Uterus inversus, ex vulva propendens atque putrescens, fundum obtulit ruptum.* Inciso cadavere, arsenicum non solutum in ventriculo deprehendebatur et chemica disquisitio, quamquam viscerum destructio parum processisset, mulierem arsenico esse interfectam, extra

dubitationem ponebat. Post aliquod tempus *Rheinsdorff* coram judice crimen confessus est (16).

b. (15) Quem nunc enarraturus sum, casus annum circiter unum ac trimestre prius obvenit antecedente, non ipsi quidem patri, sed provinciae finitimae physico. Sectionem forensem ergo pater non administravit, attamen serius, actis forensibus cum eo communicatis, ad ferendam sententiam invitatus est. Uxor doliarii W.. in pago P.., aliquot et triginta annos nata, sano corpore praedita, quinque puerperia cum feliciter sustinuisset, inter sextam graviditatem non minus bene valuit, donec aliquot hebdomadibus a puerperio abesset, quo tempore partium genitalium haemorrhagia apparuit, quae cum neque profusa neque doloribus conjuncta esset, parvi existimabatur, ideoque medico non commissa,

---

(46) Hic quoque casus typis jam exscriptus est. Beatus Klaatsch enim, cui per magistratum, quo fungebatur, fortasse acta forensia innotuerant, eundem (In Henke's Zeitschrift für die Staats-A. K. 1826. 3tes Vierteljahrh.) divulgavit, opportunitatem inde nactus, de partu post mortem sententiam suam apponendi. Sententia illa summatim quidem non differebat ab ea, quam pater in responso forensi professus erat, verumtamen Beat. Klaatsch neque hujus rei, neque ipsius responsi mentionem fecit, sed modo speciem facti et visum repertum descripsit. Quum iste casus, ex Henkii annalibus petitus, non minus obiter a Niethe in dissertatione inaugurali supra memorata descriptus, ceterum autem notatu dignissimus sit, huic opusculo appendicem addere placuit, quae visum repertum a patre conscriptum verbotenus, quale ad acta forensia relatum est, contineat; quae loca ad foetum post mortem exclusum spectant, typis obliquis excudi curavi.

domesticis tantum remediis, ut succo fructuum rubi idaei, interdum fomentis frigidis, ventri superimpositis, curabatur. Talis conditio ad diem IX. m. Aprilis a. 1818 perstitit, quo, irruente haemorrhagia uberrima, parturientium molimina sese ostenderunt. Quum ingravescente haemorrhagia parturiens magis magisque exhauriretur praetereaque infantis situs ab obstetrice abnormis deprehenderetur, die X. m. Aprilis medicus obstetricius arcessebatur, qui cum hora antemeridiana undecima advenisset, sententiam hanc, ad acta relatam, de foemina tulit: virium prostratio supremum attigerat gradum, extremitates frigebant, crebrae accesserunt lipothymiae, corpus sudore frigido viscido obtectum, pulsus vix sentiendus, haemorrhagia enormis erat. Instituta exploratione topica, placenta uteri ori insidens, postice autem in sinistro latere aliquantum soluta, pelvis minor vacua inveniebatur. Vehementissimae uteri constrictiones impediebant, quominus tota manus immitteretur; post plures demum horas contigit, ut placenta solveretur, quo facto sanguis fluere desiit. Tam ante quam inter illas encheireses remedia antispasmodica et analeptica, enemata, unctiones abdominis adhibebantur. Verumtamen uteri spastica constrictio non modo perduravit, sed etiam convulsiones universales accesserunt. Quae cum ita essent, ovi tunicas rumpere nullo pacto licebat. Hora demum vespertina sexta spasmus aliquantum remisit.

Quum in eo esset foemina, ut versionis faciendae causa in toro poneretur, liquor amnii effluxit, situsque infantis transversus, qui conjectabatur, nec non manus prolapsa, cognoscebantur. Versionem saepius tentatam vehementes uteri constrictiones irritam reddiderunt, quippe quibus medici obstetricii manus maxime comprimeretur; praeterea convulsiones summa cum atrocitate redierunt. Quum hora vespertina decima, remittentibus, ut videbatur, spasmis, versionis periculum iteraretur, prolapsus est funiculus umbilicalis et convulsiones reversae omne suspenderunt conamen; idem evenit, quum manus prolapsa reposita esset, quare ad horam matutinam nonam posteri diei ab omnibus experimentis abstinebatur. Etsi tunc contigit, ut manus prolapsa reponeretur, funiculus tamen umbilicalis prolapsus impedivit, quominus ultra procederetur. Quum manus prolapsae epidermis dissoluta, meconium foetidum solutum, cum amnii liquore dejectum, defectus motuum infantis jam prius observatus, denique funiculus umbilicalis putredine affectus, de infantis morte concludi juberent, funiculus umbilicalis dissectus et, quia nihil sanguinis effluxit, haud ligatus est. Omnia tamen frustranea erant: constrictiones spasticae cum lipothymiis, convulsionibus periodicis universalibus, horrore totius corporis ingente et artuum frigore redierunt, vires magis magisque decreverunt, horaque antemeridiana unde-

cima (die XI. m. Aprilis) foemina, foetu haud exciuso, obiit; medicus obstetricius alter, in auxilium vocatus, mortuam invenit. Ceterum haemorrhagia post placentae solutionem modica exstiterat.

Cadaver, elapsis aliquot horis, straminibus impositum linteo obtegebatur. Eodem in cubiculo, in quo repositum erat corpus, domus augustae causa maritus atque mater defunctae nocte insequente dormiebant. Hora nocturna prima ambo strepitum in cubiculo audiunt, quem, superstitione capti, pro omine habent; ingruente autem luce strepitus illius causam intelligunt, nam cadaver adspicientes inter ejus crura infantem exclusum cum secundinis vident. — Priusquam omnia innotescebant, obstetricius N. N. in curanda muliere temeritatis accusatus, causamque ut diceret, expostulatus est. Proinde magistratus cadaver secari jussit; medicus obstetricius postea de agendi ratione sese purgare coactus est. — Cadaveris sectio, die 14. m. Aprilis a physico et chirurgo forensi instituta, haec obtulit: Putredo cadaveris loculo impositi jam ingressa aucto corporis, praesertim faciei volumine, nec non maculis nigris et coeruleis circa genitalia admodum tumefacta se manifestavit; venter non mediocriter inflatus fuit, inter genitalia externa vesica nigra ingens eminuit, quae accuratius explorata uterum inversum praebuit. Inter pedes cadaver infantis maturi, lividum et putredine consumtum, jacuit. Circa

carpum brachii sinistri laqueus e pluribus filis contortus, qui partes molles inciderat, animadvertebatur. Epidermis a toto latere sinistro corporis abstersa erat; in fossa axillari sinistra, nec non in superiori colli parte digitorum impressiones apparebant; ossa bregmatis sibi invicem superimposita, funiculus umbilicalis non substrictus; foetus incisio haud necessaria existimabatur. Matris corpore recluso, uterus ad fundum usque inversus, per totam superficiem internam, praesertim in dextro latere et circa os uteri, maculis nigris gangraenosis obsessus inveniebatur, ita ut omnino ter quarta uteri pars gangraenae obnoxia, reliqua inflammata esset. Ad uteri os apseritas flocculenta cernebatur, ex qua cohaesionem cum placenta suspicari posses; in duodeno leviter inflammatus locus, ventriculus, excepta bile aliqua effusa, vacuus, reliqua ventris viscera normae congrua, pauca sanguine praedita fuerunt. In thoracis et cranii cavitate nihil anomali, vasa autem cerebralia sanguine turgida apparuerunt.

Qui sectionem administraverant, sententiam tulerunt, proximam mortis causam in uteri inflammatione et gangraena, minime in haemorrhagia esse ponendam, infantem certe viginti quatuor horas ante partum tentatum obiisse visumque repertum ita constitutum esse, ut de medendi ratione vel conveniente vel inconveniente mulieris inter partum nihil certi

possit dirimi. De foetu post mortem excluso nihil referebatur.

EXEMPLORUM ENARRATORUM EPICRISIS ET COMPARATIO.

Quodsi exempla enarrata inter se comparamus, observationes vetustiores a recentioribus uno tantum momento discrepare videmus, eo nimirum, quod illae passim vivos infantes post matris mortem exclusos esse perhibent, hae vero ne unum quidem hujusmodi exemplum afferunt; omnes foetus mortui prodierunt. Jam haec res vetustiorum medicorum effata suspecta reddit et conjectare nos jubet, matrem illis in casibus non mortuam, sed asphyxiae obnoxiam fuisse, quippe quam priores a morte non satis discernere valerent. Nonnulli quidem illius aevi medici id suspicabantur, et quamquam partum praecipue vi foetus vivi effici perperam judicabant ideoque vitae foetus propriae plurimum momenti tribuerant, quandoque tamen mirum putabant, vitam illam foetus propriam per horas plures, imo dies, matris vitae superstitem esse posse. Sic *Riolanus* (47) de casu No. XIV, qui medicis Parisiensibus ad ferendam sententiam proponebatur,

(47) Anthropogr. Lib. VI. c. 8. fol. 398.

persuasum habet, matrem asphyxia fuisse correptam atque tum demum obiisse, »cum spuma ex ore prodiit.« Imo si mortuus edatur infans, multi asphyxia oppressam fuisse matrem crediderunt, quae infantis vivi irritamento resuscitata foetum excluserit, cum ipso autem vel paulo ante vel inter partum vita decesserit (48).

Sperling (49) verbis disertis vivum infantem post matris mortem nasci posse negavit, matrem iis in casibus semper asphycticam fuisse dicens. Recte quidem! non modo enim a physiologia rationali, verum etiam ab experientia abhorret, foetus vitam matre mortua subsistere posse. Etiamsi patentibus foramine ovali et ductu Botalli sanguinis circuitus in foetu aliquamdiu perfici possit, deficiente tamen sanguine arterioso et immorante venoso mox suffocatio oriatur necesse est. Eventus sectionis caesareae post matris mortem institutae infaustus hanc rem extra dubitationis aleam ponit; etenim operationes hujusmodi prosperum eventum sortitae prioris aevi sunt, quo medicorum observationibus nondum plena fides habenda erat. Recentiori tempore, quo chirurgia et ars obstetricia plurimum incrementi ceperunt, et observationes diligentius instituuntur, rarissime faustus obtinetur exitus.

---

(48) Schurig, Embryol. p. 582. §. 8.
(49) De format. hom. in uter. Cap. VII. p. 161.

D'Outrepont (50) plura enumeravit exempla quibus sectio caesarea partim immediate, partim post horae minuta duodecim aut viginti, unum vero quo post horam a matris morte administrabatur; infantes mortui protracti sunt. Unus tantum eorum, horae minuta duodecim post matris exspirationem excisus, vixit et clamorem edidit, elapsis autem quatuor horis obiit. *Wittcke* (51) vix hora post matris mortem elapsa operationem instituit infantemque mortuum deprehendit. Eadem administrata est in duabus mulieribus cholera Asiatica exstinctis paulo post mortem, uterque foetus vitae exper fuit (52). In schola obstetricia practica Vindobonensi sectio caesarea post septem horae minuta a matris morte instituebatur, at omnia infantis vitam suscitandi pericula vana erant (53). In centum et viginti octo casibus, quibus sectio caesarea post matris mortem intra decennium in provinciis Rhenanis Borussicis administrabatur, centum et undecim infantes mortui, septendecim vivi, e quibus unus tantum servabatur, excisi sunt. Quod attinet septendecim illa exempla, operatio undecies statim

---

(50) Allgem. Zeitschr. für die Geburtskunde. Bd. III. Hft. 3

(51) Rust's Mag. für die ges. Heilk. Bd. XXX. Hft. 3 S. 447.

(52) Hohl, im Med. Conversat. Blatt 1832. No. 26.

(53) Mediz. Jahrb. des K. K. österreichischen Staats 1833. Bd. XIII. St. 4.

quater decem ad triginta horae minuta, semel horam, semel bihorium post matris mortem facta est (54).

Inter haec maxime respicienda est illa observatio, quae rationem, qua mater obiit, ad servandam foetus vitam plurimum valere docet. Plurimum enim spei infantem servandi affulget, si mater ceterum sana causis violentis, minimum, si viribus vitalibus partu diuturno, aut convulsionibus, aut operationibus obstetriciis exhaustis, interemta est (55). Plurima autem exemplorum vetustiorum, quibus infantes vivi exclusi esse narrantur, ejusmodi fuerunt, ut matris mors vel diuturno partus labore, vel convulsionibus induceretur. Huc accedit, quod, si foetus a mortua matre sponte excluditur, de vita ejus servanda multo magis desperari debet, quam si caecaesarea sectione eliminatur, quum hoc in casu omnia adminicula, ad vitam suscitandam necessaria, promta parataque habeantur, et statim administrentur, in illo autem, quum propinqui raro talem partum suspicentur, sed serius demum eum accidisse mirenter, infans, etiamsi asphycticus aut exili vita praeditus nascatur, brevi tempore, omni destitutus auxilio, animam exspirare debeat. Quamquam igi-

---

(54) Die Entbindung lebloser Schwangern mit Beziehung auf die Lex regia. Vom Königl. Pr. Med. Rath Dr. Heymann. Coblenz 1832.

(55) Der Kaiserschnitt an Todten. Eine Inaugural-Dissertation etc. von Reinhardt. Tübing. 1829.

tur plures medici foetum vivum a mortua matre excludi posse contendant, v. c. *Frank* (56), *Mende* (57), tamen argumenta supra allata contrarium mihi persuadent, quamobrem exemplis illis vetustioribus, quibus infantes post plures horas, imo dies, a matris morte vivi exclusi, imo servati plerumque esse dicuntur, fidem habere nequeo, verum potius existimo, casus illos ita explicandos esse, ut matrem non vere mortuam, sed asphycticam fuisse censeamus. Quam facile enim mors et asphyxia confundantur, exemplis abunde probatur, sufficiat autem lectorum animos ad eum attendere casum maxime notabilem, quem *Osiander* (58) evulgavit: uxor enim Professoris Hiller, Tubingae, quum sexto graviditatis mense subito affecta terrore in vehementissimas incidisset convulsiones, mortua videbatur et post sex demum dies, intra quos *ab omnibus medicis pro defuncta habebatur*, in vitam rediit mortuumque foetum edidit. Temerarium autem esset, medicorum vetustiorum iis adstipulari, qui in quovis partu post matris mortem spontaneo, sive infans vivus sive mortuus excluderetur, matrem asphyxiae obnoxiam fuisse judicarent; quod enim

(56) System einer vollständigen mediz. Polizey. Bd. I. Manheim 1779. S. 574 ff.

(57) Beobachtungen u. Bemerk. aus der Geburtshülfe und gerichtl. Mediz. I. Bdchen. Götting. 1824. S. 159.

(58) Handbuch der Entbindungskunst. Bd. II. Abth. II. Tübing. 1821. S. 288.

si verum esset, de partu post mortem sermo esse non posset. Tam frequens enim asphyxia non est, ceteroquin nos mirari oporteret, ne unam quidem illarum foeminarum asphyxia correptarum ipso partus actu in vitam esse revocatam. Quis tandem, si omnia mortis signa, ut putredo etc. adsunt, si veneficium arsenicale, phthisis, inflammatio et gangraena vitam exstinxerunt, asphyxiam subesse putet? Iis tantum in casibus sine temeritatis specie de asphyxia concludere licet, quibus foetus vixit, aut parturiens post infantis mortem, imprimis dum excludebatur, aliqua vitae indicia, etsi levissima, obtulit, aut quibus mortis genus variaque momenta verum matris obitum suspectum reddunt.

Quibus praemissis, facile intelligitur, casus supra praepositos I. II. V. VII. X. XII. XIV. XXVI. XXVII., quibus foetus exclusus disertis verbis vixisse dicitur, ad partum post mortem non esse referendos. Hujus generis etiam exemplum est in introductione commemoratum, quod *Valerius Maximus* de Gorgia enarrat.

Neque ad partum post mortem numeranda sunt exempla III. XV. XXII, quippe quibus infantes mortui quidem exiisse dicantur, reliqua tamen indicia matris asphyxiam notent. In casu III. infans ad sinum, in casu XV inter brachia matris inventus est, ad quae loca, si narrata vera sunt, nonnisi per ipsam matrem deferri potuit. Haud minus

in casu XXII situs cadaveris mutatus, qui reperiebatur, de asphyxia concludi jubet.

Dubium est, num in casibus XVI et XXVIII infantes vivi an mortui fuerint; in illo infans *tepidus* fuisse, in hoc, ut magistratus testimonium asserit, osculum bis aperuisse, tum obiisse traditur. Utroque in casu facile fallacia existere et foetus mortuus esse potuit; verumtamen isti casus, quum ambigui sint, ab iis segregentur, qui de partu post mortem agunt.

Quaeritur denique, an casus XX et XXI, in quibus gemellorum alter matris latus penetraverat, fidem mereantur, num potius naturae legibus e diametro repugnent, itaque delendi sint? At quamquam illud phaenomenon primo obtuitu mirum videatur, accidere tamen posse haud dubito. *Brunn* (59) nuper exemplum communicavit notatu dignissimum, quo, ruptis ventris integumentis e solo nisu vehementiori inter alvi dejectionem, ob herniam inguinalem incarceratam et pertinacem alvi obstipationem, illos casus revera accidere potuisse, extra dubitationem ponitur. Abdominis integumenta inde ab annulo abdominali dextro ad hepatis regionem usque rupta, omniaque paene intestina tenuia crassaque prolapsa erant, ut hepar conspicere posses. Mesenterium quoque et vasa nonnulla majora, e

(59) In Casper's Wochenschrift f. d. gesammte Heilkunde. 1834. N. 35. S. 558.

quibus sanguis profluxerat, rupturas obtulerunt. — Quod hoc in casu vehementiori nisu atque contentione effectum erat, nonne idem quacunque alia violentia, ab interioribus ad exteriora urgente, effici poterit? et quemadmodum intestina proruebant, nonne eodem modo foetus uterum et ventris integumenta perrumpere posse videtur? Sane in partu gemellorum, imo in hoc forsan solo, quum alter alteri facile viam naturalem praecludere valeat, illud evenire posse videtur, itaque nihil impedit, quominus utrumque casum relatum iis adnumeremus, quibus partus post mortem matris locum habuit.

Nonnullis quidem in exemplis traditum non est, utrum foetus vivus an mortuus exclusus fuerit; mortuum tamen fuisse, suspicandum est, si enim vixisset, hujus rei disertis verbis mentio esset facta.

Proinde ex casibus descriptis vetustioribus tantummodo ad partum post mortem referendi sunt: IV. VI. VIII. IX. XI. XIII. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXIII. XXIV. XXV. In omnibus his exemplis foetus mortuus prodiit, nihilque est, quod de matris asphyxia concludi jubeat; ceterum omnia in rebus primariis cum recentioribus observationibus consentiunt, quare de horum exemplorum sinceritate non est dubitandum. Quodsi igitur hos casus quatuordecim vetustiores cum quatuordecim recentioribus comparamus, momenta sequentia, etsi descriptiones saepius nimis breves atque mancae sunt,

nobis offeruntur, quae accuratius considerari merentur:

In *tredecim* casibus (IV. VIII. XIII. XIX. XXII. XXIV. XXV. 1. 2. 3. 6. 9. 15) mater inter partum, plerumque virium prostratione post diuturnam manuum vel instrumentorum applicationem, obierunt.

Ter foetus situm habuit abnormem (cas. I. 9. 15);
bis convulsiones simul accesserunt (cas. 9. 15),
semel placenta praevia, inflammatio et gangraena uteri exstiterunt (cas. 15).

In *duodecim* exemplis (IX. XVII. XXIII. 4. 5. 7. 8. 10. 11. 12. 13. 14) non inter partum obiit mater, sed morbo aliquo:

Ter morbo acuto (cas. XVII. XXIII. 7).
semel febre intermittente apopl. (cas. 12).
semel convulsionibus (cas. 5).
semel febre nervosa lenta (cas. 10).
semel phthisi tracheali (cas. 8).
semel violentis vexationibus (cas. 11.)
semel veneficio arsenicali (cas. 14).
semel affectione typhosa ex usu belladonnae (cas. 13).
semel haud dubie veneficio (cas. 4).
semel sine dubio apoplexia (cas. 10.)

Quatuor in casibus non certo traditum est, utrum mors intra an extra partum subsecuta sit.

Undeviginti in casibus (IV. VIII. XIII. XIX. XXI. XXIV. XXV. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 11. 12. 15) mulier finito vel saltem exeunte graviditatis tempore exspiravit.

Tribus in exemplis mors intra octavum graviditatis mensem secuta est (cas. VI. IX. XXIII).

In *uno* intra mensem septimum (cas. 12).

In *uno* » » sextum (cas. 8).

In *uno* » » quartum (cas. 11).

Partus post matris mortem incidit:

semel horas sex (cas. 12).

» » octo (cas. XIX).

» » decem (cas. 3).

quinquies » duodecim (cas. XI. XXI. 4. 9. 15).

quater » viginti quatuor (cas. XVII. 1. 6. 13)

semel » viginti septem (cas. XIII).

novies » quadraginta octo (cas. VI. VIII. IX. XVIII. XX. XXIII. XXV. 7. 8.)

bis » septuaginta duas (cas. 5. 10).

bis fortasse post horas septuaginta duas, quoniam foetus effosso demum cadavere inveniebatur (cas. 11. 14).

semel scriptum est »paulo post« (cas. IV).

bis de tempore nihil est relatum.

Undecim in casibus infans, quod multa probabant argumenta, jam ante matris obitum interierat: (cas. VI. XIX. XXIV. 1. 3. 4. 6. 8. 13. 14. 15); idem ter putrefactus prodiit: (cas. XXIV. 8. 13).

Quinque in exemplis matris corpus jam ineuntem obtulit putredinem, cum foetus edebatur: (cas. VI. IX. XXIV. 4. 6).

Quater foetu excluso ingens ventris intumescentia animadvertebatur (cas. VI. 3. 4. 15).

Septem in casibus foetus »cum crepitu, fragore« prodiit (cas. IV. VIII. XIII. XIX. XXV. 12. 14).

Quater gemelli edebantur (cas. XX. XXI. 1. 10).

Quatuor in exemplis uteri inversio cum partu juncta erat (cas. 4. 13. 14. 15); inter haec *semel* uterus durissimus (cas. 4), *semel* solutus, putridus (cas. 14), *semel* inflammatus et gangraenosus (cas. 15) apparuit.

In casu 13 de uteri conditione nihil traditum, ceteris in exemplis uteri mentio non facta est.

Semel tantum peritonaeum (cas. 4), *bis* abdominis integumenta (cas. XX. XXI) rupta erant.

Semel pelvis deformitas exstitit (cas. 6).

Placentam simul cum foetu secessisse, paucissimis in exemplis memoratum legimus; semel autem (cas. 10) gemelli cum integris ovi tunicis exclusi sunt.

VARIARUM EXPLICATIONUM PARTUS POST MORTEM A MEDICIS PROPOSITARUM AESTIMATIO.

Quodsi diffitendum non est, post matris mortem emortuos posse excludi, quibus viribus expellantur, sciscitandum est.

Priusquam de singulis explicandi rationibus

sermonem faciam, adnotare liceat, multis in libris, in quibus hac de re nonnulla te inventurum putes, nominatim in encheiridiis obstetriciis, hujusce rei vel nullam, vel obiter tantum mentionem esse factam; alios vero scriptores, ut *Frank* (60), etiamsi rem tangant, ejus interpretationem minime periclitari.

a) *Vita foetus propria,*

qua multi priorum medicorum phaenomenon illud explicari putabant, supra jam memorata est. Vix igitur operae pretium esset, hanc sententiam refutare, nisi medicus quidam nuperioris aevi (61) opinionem fere paradoxam protulisset, *infantem non per matrem, sed per semet ipsum excludi;* cujus sententiae gravissimum argumentum a partu post matris mortem repetit. In aprico autem est, nullum existere argumentum, quod illam hypothesin magis refutare valeat, quam partus post mortem, siquidem infantes hoc modo exclusos jamjam mortuos, imo interdum diu ante matris obitum defunctos esse sciamus. Quo tandem modo foetus emortuus per se ipsum potest excludi? Praeterea dicta hypothesis quovis abortu, quavis mola et systematis sexualis actione in graviditate extrauterina abunde refellitur.

---

(60) System einer med. Poliz. Bd. 1. S. 577.

(61) Friedreich in Henke's Zeitschr. für die Staats-A. K. Bd. XXI. Hft. 2. S. 391.

b) *Stark* (62) casum a se observatum describens (cas. 3), eventum illum *partim a relaxatione partium post mortem et defectu resistentiae, sive e propria partium vi vitali carentium conditione, partim ab eo derivat, quod per ultimum vitae momentum maxima sit actio reciproca partium, ergo uteri etiam, diaphragmatis et musculorum abdominalium summa in foetum efficacia; partim denique ab eo, quod omnes musculi frigescentes magis sese contrahant, itaque in foetum validius agant.*

Minime vero haec explicatio sufficit. Sola partium relaxatio foetum in lucem promovere non valet. Decidere ex utero infans nequit, vis propulsiva necessario requiritur; et quidni ille statim post mortem, sed elapsis pluribus horis, imo diebus, prodit? Actio conjuncta uteri, diaphragmatis et musculorum abdominalium in foetum per ultimum vitae momentum minime in omnibus casibus est admittenda. Quam multae enim parturientes extrema virium inanitione, moliminibus ad partum jam dudum deficientibus, quam multae morbis, quos nulla molimina antecesserant, exstinctae sunt! Imo his quoque in casibus interrogare licebit, quidni foetus statim post mortem, sed aliquanto post processerit. Neque demum frigus cadaveris et musculorum contractio inde exorta alicujus momenti esse

(62) Archiv Bd. VI. S. 568.

videtur, eo minus quidem, quod contractio in collo uteri pariter atque in ejus fundo oriri, itaque effectus compensari debet.

Non plus probabilitatis nonnullorum medicorum sententia prae se fert, qui

c) *partum illum spontaneum ab infantis pondere, relaxatis partibus genitalibus, repetendum censent.*

Etiamsi ab eo discedas, quod cadavera plerumque situ horizontali collocantur, ergo foetus gravitas transitum per os uteri efficere nequit: nec partus explicatur, si foetus situm habet obliquum, nec ea illustrantur exempla, quibus infans diu ante graviditatis finem emortuus, itaque pondus ejus tantum mediocre est.

d) *Vis vitalis uteri post mortem residua foetum expellit.*

Haec explicatio maxime communis atque vulgaris est, eandem enim medici et obstetricii celeberrimi, quanquam obiter saepe, pronuntiarunt. Sic *Froriep* (63):

»*Merkwürdig ist es, daſs die während der Schwangerschaft vermehrte eigene Lebensthätigkeit des Uterus sich am Ende der Schwangerschaft, sogar nach dem Tode der Schwangern, wenn schon alle übrigen Theile des Körpers keine Lebenszei-*

(63) Handbuch der Geburtshülfe. Weimar 1802. §. 208.

chen mehr geben, noch eine Zeitlang erhalten kann; daher denn auch Kinder noch nach dem Tode der Mutter geboren werden können.«

Osiander (64), qui quidem postea sententiam aliquantum mutavit, illi opinioni omnino adstipulatur. Vitam uteri gravidi, partim eam ob causam quod largior humorum affluxus inter graviditatem ejus vim vitalem adaugeat, diutius quam omnium reliquarum partium persistere, ergo uterum reliquo corpore jamjam mortuo foetum expellere, eoque expulso, aeque ac inter vitam se contrahere posse dicit. Simul vero, quod experientiae repugnat, infantes post matris mortem editos plerumque vixisse credit, indeque probabile existimat, et uterum et foetum reciprocam per efficaciam vivos et activos servari

Naegele (65) etiam utero irritabilitatem inter partum maximam tantumque autocratiae gradum inde impetratum adscribit, ut exhausto reliquo organismo, in asphyxia, imo post mortem, actiones praestare possit.

Bernt (66) sermonem faciens de explorandis indiciis neonatorum mortis, vel ante vel post obi-

---

(64) Grundrifs d. Entbindungsk. I. Th. Gött. 1802. §. 543 —545.

(65) Erfahrungen und Abhandl. aus dem Gebiet d. Krankh. des weibl. Geschlechts. Manheim 1812. S. 114.

(66) Das Verfahren bei der gerichtl. mediz. Ausmittelung zweifelhafter Todesarten der Neugebornen. Wien 1826. §. 132.

tum matris, mortuae simul inventae, subsecutae, tradit: »*dafs die in hohem Grade ausgedehnte Gebärmutter vermöge ihrer auch nach dem Tode der Schwangern eine Zeitlang fortdauernden Kontraktilität, nach dem Ableben der Mutter für sich allein ein bereits ebenfalls todtes oder noch lebendes Kind zur Welt befördern könne.*«

Eandem sententiam *S. G. Vogel* (67) amplexus est: »*das erhöhete Leben des Sexualsystems, sagt er, ist nicht allein beim Eintritt der ersten Menstruation, während derselben, so wie beim gänzlichen Aufhören der Periode, und gleich nach der Entbindung sichtbar, sondern es zeigen auch auffallend die Entbindungen davon, welche noch nach dem Tode der Mutter erfolgen.*«

Auctore *Busch* (68) etiam uteri vis expultrix post gravidae mortem persistere foetumque excludere potest.

Wildberg (69), eidem addictus opinioni, vim uteri vitalem reliquarum partium morti superstitem partim a magna sanguinis copia in vasis uterinis, quae inter graviditatem colligatur vitamque topicam alacriorem reddat, partim a propria infantis vita, quae uteri contractilitatem post mortem quoque

---

(67) Allgem. diagnost. Untersuchungen. Th. II. Stendal 1831. S. 159.

(68) Lehrbuch der Geburtskunde. 2te Aufl. Marburg 1833. §. 170.

(69) Magazin f. d. gerichtl. A. W. Bd. 1. Hft. 1. S. 58.

evocare et aliquamdiu sustinere valeat, partim denique a majori uteri calore, qui proprio foetus calore adaugeatur, deducit.

Eadem ratione omnes paene recentiorum observationum auctores rem interpretati sunt. Exemplo in *Hufelandii* ephemeridibus enarrato (cas. 6) *Neumann* addit notam, uterum hoc in casu post foeminae mortem necessario vixisse satisque virium habuisse, ad foetum per ossa pelvis, ceterum aliquanto deformia, propellendum; eodem exemplo incitabilitatem cuivis organo propriam mirifice confirmari existimat.

Casus ab *Ebel* observatus (cas. 11) inscriptus est: *»Zusammenziehungen der Gebärmutter nach dem Tode«;* casus vero a *Rudolph* appositus: *»Kontraktion des Uterus nach dem Tode«.*

Nec non *Mende* (70) casus tres (3. 4. 9.), de quibus prolixe disserit, pariter atque similia exempla, eodem modo interpretatur; fieri enim posse diserte contendit, ut uterus aliquamdiu vivat, si vita organorum corporis centralium, ut cerebri, cordis et pulmonum, jam aufugerit, ne unam quidem corporis partem relative minus a functionibus suis reliquis pendere dicens, quam uterum. Hoc modo praecipue casus explicari asserit, quibus partus post mortem demum inceperit, atque clausum uteri os

(70) Beobachtungen u. Bemerkungen aus der Geburtshülfe u. gerichtl. Medizin. 1tes Bdchen. Götting. 1824. S. 105 ff.

aperiri debuerit, ut foetus exire posset. Sententiam suam quoque probari dicit mutatione situs infantis, quae haud dubie in casibus 3 et 9 antecedere debuerit, quoniam existimare non liceat, foetum alio modo, quam praeviis pedibus, aut genubus, aut natibus editum esse. Quamdiu uteri vita reliqui corporis actionibus vitalibus superstes esse queat, in suspenso relinquit, quippe quod experientia tantum longiori dirimi posse affirmet. Praeterea vero haud negat, uterum, cum vere emortuus sit, in statum quietis, i. e. contractionis, abire conari, eoque modo foetum expellere posse, in quo duplicem conditionem necessariam esse dicit, primum ut partus jam coeperit, priusquam mors accedat, deinde ut uteri os apertum, totaque portio uteri inferior prorsus expansa sit; denique auctor est, quovis in casu singulari momenta quaedam secundaria existere posse, ut eventus ille locum habeat, quibus quidem momentis supra dictas causas, a *Stark* traditas, nec non foetus gravitatem et putredinem emphysematicam accenset.

Quanquam igitur vulgatissima omnium sit sententia, partum post matris mortem superstite uteri vi vitali effici, tamen ejus infirmitas simplicibus argumentis commonstratur.

Etiamsi enim largiamur, ineunte morte non omnes partes eodem tempore emori, sed alteram altera diutius vitam retinere, interrogare tamen li-

cebit, numne iis in casibus, quibus uteri tetanus, inflammatio, haemorrhagia, partus mechanicis impedimentis retardatus etc. parturientis vitam exstinguunt, mors ab ipso ordiatur utero, indeque demum ad reliqua organa propagetur. Systema sexuale praecipue inter graviditatem, partum atque puerperium, quod experientia docet, multo sensilius esse reliquis partibus, ergo externis incitamentis gravius offenditur faciliusque succumbit. Meditemur quaeso profluvia ichorosa ex utero, ineunti putredini jam obnoxio, quae in morbis lethiferis in lochiorum locum succedunt, etsi corporis vita nondum gravius periclitari videtur (71).

Fingamus autem, uteri vitam nonnunquam reliquarum partium vitae esse superstitem: tamen haec vita solitaria, communi nervorum imperio subducta, neque diuturna, neque energiae plena esse poterit. Nihilominus contrarium defendunt et argumenti instar proponunt, in cadaveribus mulierum, quae post mortem ediderint foetum, non minus contractum reperiri uterum, quam si viva mater infantem excluserit (72). Ast ubi sunt hujusmodi observationes? Comparatio casuum enumeratorum docuit, de uteri conditione fere nunquam sermonem

---

(71) Vergl. Albert in Henke's Zeitschrift etc. 13tes Ergänz. S. 296.

(72) Wildberg Magaz. für die gerichtl. Arzneiwissensch. Bd. I. Hft. 1. S. 58.

esse factum. Tribus tantum in casibus uteri mentio facta est, et in his quidem inversus fuit. Uno in exemplo (13) nihil praeterea commemoratur, in duobus (14 et 15) minime contractus, et in *uno tantum* (4) durissimus apparuit, ex quo, eum fuisse contractum, omnino concludi oportet. *Wildbergii* opinio haud dubie casu quodam nititur, quem *Osiander* (73) a se observatum tradit, quippe quo duas post mortem suffocatoriam horas sectionem caesaream administraret, foetu exemto vulnus consueret, alteroque die, quum accuratius cadaver explorasset, uterum non secus inveniret contractum, ac si in viva muliere instituta esset operatio. Contra autem *Klaatsch* (74), qui saepius uterum gravidum statim post mortem examinavit, nunquam vitae manifestationem in eo se observasse, tradit. Et quid tandem ex illo phaenomeno ratiocinandum est? nihil sane, quam uterum elasticitatem suam, contractilitatem mortuam nondum amisisse. Quae vis mortua enim fibrarum post obitum persistit, donec putredo substantiam partium solidarum destruat, quare musculi plures post mortem dies dissecti versus fines retrahuntur magnoque interstitio distant. Hanc autem vim, quam in anorganica rerum natura etiam deprehendimus, confundi non oportet cum vi

---

(73) Epigrammata. Edit. alt. Ep. XXVIII. pag. 75.
(74) l. c. p. 40.

uteri viva, i. e. irritabilitate, quae sola contractio-
nibus singularem directionem sequentibus foetum
expellere valet. Sane quidem uterus mortuus, *eva-
cuatis contentis*, itaque sublato impedimento con-
tractionibus adversante, per vim illam mortuam se
contrahere potest, *expelli* autem foetus sola con-
tractilitate nequit, partim quia per se nimi
exigua est, partim quia in totum foetus am-
bitum aequabiliter agit, ergo illius situm magis tueri
quam disturbare valet. Si mortua illa contractilita
effectum praestaret propulsivum, quo demum modo
fieri posset, ut infans, quum vis illa perpetuo insi-
deat utero, ad debitum usque parturitionis terminum
retineretur? Posteaquam commercium inter matrem
et foetum uterique turgor desiit, specificae demum
uteri contractiones vehementes accedunt, quae par-
turientium molimina vocantur, solaeque foetum ex-
pellere valent. Eadem ratio fuisse videtur uteri
durissimi contracti in casu 4: mortua tantum uteri
contractilitas illius phaenomeni causam exhibuit
Quod *Mende* uteri mortui nisum dicit, in statum
quietis, i. e. contractionis, abeundi, nihil est, nisi
eadem contractilitas mortua, et quanquam aucto
os uteri apertum et portionem ejus inferiorem ex-
pansum esse debere contendit, ut partus perficiatur
tamen argumenta supra allata, hujusmodi processum
evenire non posse, luculenter probant.

Ex majori sanguinis ubertate uteri gravidi d

vita ejus adaucta et reliquorum organorum vitae superstite concludere, quod *Wildberg* concludit, temerarium mihi videtur; ceterum vita aucta nondum vitam longiorem supponit. E contrario in morbis inflammatoriis ad gangraenam vergentibus partem inflammatam reliquis prius emori videmus. Incitamentum, quod vivus offert foetus, uteri vim vitalem excitare, non diffitendum, sed ex eo jam colligendum est, quod mortui infantes difficilius excluduntur vivis. At matre mortua, mox foetus obit, quamobrem de hujus efficacia viva in uterum, nominatim a morte proximum, plane tacendum est. Quo denique modo calor infantis uteri calorem evehat, difficile est intellectu, quum foetus temperies vix et ne vix quidem majorem obtineat gradum, quam matris.

Quod situs mutationem attinet, quam *Mende* argumentis uteri actionem probantibus adnumerat, ambiguum adhuc est, quo situ infantes post matris mortem sint exclusi: observationes enim hanc rem silentio praetereunt. Ceteroquin versio spontanea, si quando occurrit, alia ratione potest explicari, de qua infra exponam.

Etiamsi vero uteri vis vitalis reliquorum organorum vitae superstes possit probari, arduum tamen est intellectu, cur major ei efficacia post mortem, quam inter vitam, tribuatur. Id quod integra totius organismi actione praestare non valebat, nimi-

rum ut impedimenta omnia dynamica, atque mechanica, partui adversantia, superaret, tunc praestare dicitur, cum vires auxiliares, in quarta partus periodo agentes, organorum respirationis, septi transversi et musculorum abdominalium, plane deficiant. Noli objicere morte universali nonnulla impedimentorum ante dictorum, nominatim spasticam colli uteri constrictionem, tolli, fibras hujus partis post mortem relaxari, itaque minori uteri vi ad expellendum foetum opus esse. Etenim si ab eo discedas, quod sententia temeraria videatur, inferiorem uteri partem emori, superioris vitam autem perdurare, tamen partus, si vel infantis situs abnormis vel pelvis deformis exstat, minime explicatur. Ast illa vis vitalis uteri residua non *protinus* post mortem, sed *interposito spatio longiori*, efficaciam manifestare dicitur! E superioribus autem apparet, spatium brevissimum a matris morte ad partum sex horarum fuisse; reliquis in exemplis, quibus commemoratum est spatium, multo longius fuit: horarum duodecim, viginti quatuor, novies quadraginta octo, quater longius. Tamdiu igitur uterum non modo vim vitalem asservare, verum etiam tanto temporis spatio indigere dicunt, ut eam colligat illumque ad gradum evehat, quo neque inter vitam neque paulo post mortem gauderet, et quo efficiatur id, quod antea communibus naturae artisque auxiliis effici non posset! Profecto haec exaltatio

vis vitalis uteri post organismi vitam diutius exstinctam non minus videtur mira, quam virtutes medicaminum homoeopathicae decrescente dosi augescentes. Num iis quoque in casibus, quibus, eveniente partu, matris corpus jam putredini obnoxium erat, uteri vitam residuam existimas?

Quid, quod illa exempla hoc modo explicari nequeunt, quibus mors diu ante legitimum parturitionis terminum, mense graviditatis octavo, sexto, imo quarto, accedebat, nec ipso partu inducebatur, sed morbis ab utero neque ordientibus, neque cum eo commercium alentibus!

Quo denique modo uteri inversio, quatuor in exemplis observata, cum ejus vi vitali conciliari poterit? Nihil sane gravius uteri statum passivum, dum foetus excludebatur, probat, quam illa inversio, quum vires omnes, quae inter parturitionem vivae mulieris inversionem uteri efficere queant, a partu post mortem plane absint, ergo uterus, quum propria actione inverti non possit, vim quandam extraneam pati debeat. Jam hanc ob rem uteri durities, quae in casu 4 exstitit, a mortua ejus contractilitate repetenda est, quum maxime repugnes rationi, si utero, qui mortuus secessit, vis vitalis manifestationes adscribere velis.

Quibus propositis, abunde refutari puto eorum sententiam, qui partum post matris mortem superstite uteri vi vitali effici censent.

c) *Pitschaftii sententia.*

Pitschaft (75) partum post mortem cum penis erectionibus et seminis profusionibus comparat, sub quibus suspensi, gladio obtruncati aliove supplicio affecti moriuntur, neque unum altero magis admirandum dicit. Non solum cum *Ottone* statum erectilem organorum sexualium muliebrium post supplicia ante dicta locum habere putat, verum etiam alia mortis genera, sub quibus similia in sexuali systemate eveniant, existere dicit.

At erectiones et seminis profusiones non post mortem, sed inter agonem oriuntur, quare comparatio est inepta. Concedere quidem licet, varia mortis genera, inprimis violenta, in uterum agere, imo oblatis conditionibus partum repentinum efficere posse; at partus in agone eveniens partus post mortem non est.

Fortasse exempla vetustiora I. II. VII. huc pertinent; casus etiam a Dr. *Mayer* (76) traditus hic memorandus est: Ancilla inter partum diuturnum ex nosocomio Neostadio-Eberswaldensi noctu aufugit, vitaeque taedio affecta in aquas desiluit, simulque cum filiola, per funiculum umbilicalem matri adhaerente educta est. Quum ancilla ad nosoco-

---

(75) Hufeland's Journal 1833. Spthr. S. 6.

(76) Mediz. Zeitschr. von d. Verein für Heilk. in Preufsen. 1833. No. 26.

inium reducta et infans mortua a materno corpore esset sejuncta, paulo post filiolam alteram, eamque vivam, facili partu edidit. Haud dubie prior infans eodem momento, quo mater in aquam desiluit, excludebatur. Si ancilla aquis suffocata et cum infante esset educta, ambiguum mansisset, num partus post mortem fuerit, qui certe non fuit. Hoc in casu animi affectus, cum consilio mortem sibi consciscendi junctus, forsan etiam mortis agon jamjam coeptus, partum celerem secundum *Pitschaftii* sententiam effecit. At vero omnes partus, matris mortem secuti, hac ratione non explicantur, quamobrem prolixiori refutatione opus non est; ipse quoque *Pitschaft* hypothesin appellat.

Quum igitur omnes explicandi methodi hactenus relatae partim temerariae partim mancae videantur, aliam causam circumspicere debemus, quae illud phaenomenon proferat. Vita organismi exstincta, mortuae vires imperium obtinent, et hae quidem respiciendae sunt, si rem explicare velimus.

Ad foetum utero mortuo expellendum pariter vis propulsiva requiritur, ac si vivo excludatur. In ipso utero, quippe qui mortuus sit, vis illa ponenda non est. Ast ubi tandem est? Non est nisi in materia gasiformi post mortem evoluta, quippe quae inexpugnabili agat vi, et si ejus accumulatio in ventris cavo aut in utero certum obtinuit gradum, foe-

tum violenter expellat. Quodsi gas in ventris intestinis evolvitur, quod haud dubie frequentissimum est, foetus mediate tantum, i. e. compresso uteri fundo, extrudi potest, quippe ille fundus, per se relaxatus, violentiae cedat atque invertatur. Sin vero gasis evolutio in ipso evenit utero, foetus immediate expellitur nullaque oritur inversio.

Omnia phaenomena processum illum comitantia hoc modo facile apteque illustrantur.

1) *Illud* primum, *quod partus labor viva matre jam coeperit, necesse non est;* quod foetus jam prioribus graviditatis mensibus, vel quarto, potest expelli. Quo longius graviditas processit, eo facilius quidem partus contingit, quoniam uterus ob majorem expansionem gasi prementi ampliorem exhibet superficiem, ergo majori violentia comprimitur faciliusque invertitur.

2) *Ipsa uteri inversio*, quae alia ratione explicari nequit, sed si gas tubo intestinali continetur, *nunquam non* exoriri *debet.* In quatuor quidem casibus tantum inversio commemoratur, fortasse autem in reliquis praetervisa, vel nihili aestimata ideoque mentio ejus non facta, vel denique incompleta fuit, cujus praesentia accuratiori exploratione non indagaretur. Ubi autem deficiebat, certe gas in utero accumulatum erat.

3) *Intervallum, quod matris mortem partumque intercedit.* Nunquam partus statim secutus est mor-

tem, sed interposito spatio longiori, v. c. horarum sex vel octo, saepius autem duodecim, viginti quatuor, quadraginta octo, et quod excurrit. Quid mirum? gasis evolutio, quum ineunte putredine efficiatur, aliquo temporis spatio indiget. Proinde etiam

4) *Ventris inflatio pluribus in casibus observata, et manifesta corporis materni putredo ante et post foetum exclusum*, huic opinioni favent.

5) *Strepitus et fragor cum partu saepe conjunctus*, a celeritate et violentia pendens, qua foetus expellitur.

6) *Ruptura perinaei* in casu 3 *et partus gemelli per ventris tegumenta egressio* in cas. XX et XXI. Vis tantum enormis gasis accumulati eum effectum praestare potuit, ut impedimenta, quae pelvis deformis obtulit, superarentur. Neque minus hocce modo

7) *Partus infantis situm abnormem habentis*, qui, si viva matre partus evenisset, versionem requisivisset, facile intelligitur. Vel enim situs mutatio antecessit, quae compressione partis uteri superioris non minus quam moliminum violentia in quovis partu effici potest; vel infans situm non mutavit, et tertia species versionis spontaneae [auctore *Busch* (77)] accidit, ut infans duplo inflectitur, et tali indutus situ excluditur. Certe multi

---

(77) l. c. §. 763.

situs obliqui, quos uteri vis expultrix superare non valet, multo majori gasis violentiae non resistunt. Scire sufficiat, infantem sibi patefacere viam, quocunque demum modo possit. Ceterum dolendum est, ipsum talis partus actum, ut videtur, nondum esse observatum. Etenim situs ipse, quem foetus inter matris femora repertus habuerit, raro accuratius descriptus est.

8) Quid denique est, quod fateri dubitemus, partum post mortem mechanicis gasis accumulati viribus effici, quum simile quidquam in vivis observetur? Etiamsi in vivis praegnantibus non facile tanta gasis copia in tubo intestinali evolvi posse videatur, quae uterum reagendi facultate praeditum ad inversionem usque comprimere, itaque foetum extrudere valeat, tamen exempla tympaniae uteri, in vivis exortae, prostant. Sic *Wildberg* (78) foeminam, quae octavum graviditatis mensem paene se excessisse putaret, molimina vehementia sensisse tradit. Quum, facto periculo, os uteri digito amplificandi, molimen intraret atque digitus retraheretur, subito fragor in partibus genitalibus auditus est, multumque aëris foetidissimi prorupit. Simili ratione sex vel octo molimina subsecuta sunt, quibus nihil, nisi gas foetidum expellebatur, ventre collapso foemina bonam valetudinem recuperabat.

(78) l. c. Bd. II. Hft. I. S. 9.

et nullum amplius graviditatis indicium supererat. Notatu dignus etiam casus est ab *Albert* (79) descriptus: foemina quaedam, infantem sanum enixa, quum obstetrix ad eliminandas secundinas digitum immisisset, alterumque foetum invenisset, quinque per dies sine moliminibus bene valuit; venter quasi tympanite inflatus fuit. Sexto die, quum mulier ad faciendam explorationem in situm idoneum esset redacta, et labia pudendi divaricarentur, infans praeviis natibus ingente cum fragore ex partibus genitalibus ad pedes proruebat, quo facto eodem cum strepitu, quo flatus ex ano prorumpere solent, magna gasis copia, odoris cadaverosi, exibat; foetus maturus quidem, sed putredine admodum affectus erat; secundinae iisdem sub phaenomenis, ac infans, excludebantur. Presso abdomine postea etiam gas foetidum cum murmuribus per vaginam secessit. Foemina optime valens, quum moliminum expers fuisset, partum editum esse sibi persuadere nolebat.

Hoc igitur in casu foetus putredine multum gasis evolutum erat, quod, tensione ad summum gradum evecta, mechanicis viribus infantem expulerat. Si mulier edito priori infante obiisset, alter eodem modo, ac inter vitam, exclusus esset.

Argumenta allata, ut mihi videtur, tam evidenter probant sententiam, omnemquemque partum post

(79) In Henke's Zeitschrift f. d. St. A. K. 13tes Ergänz. Hft. S. 284.

mortem sola gasis evolutione, ergo mechanica vi effici, ut nos mirari oporteat, hanc opinionem a prioribus nondum esse propositam.

Sane autem medicorum priorum quidam praeter alias causas, quas illi phaenomeno subesse putavit, hanc quoque non praetermisit. *Lucas Schroeck* enim, ut *Schurig* (80) tradit, haec censet: »quamvis »foetum utplurimum ex demortua matre vivum pro»diisse, haud sit incredibile, non tamen revera mor»tuas semper esse matres, quae tales esse judican»tur, non minus certum est; quin et embryo in pro»cinctu dum est ad egrediendum, si moriatur, laxa»tis post mortem matris omnibus hujus membris et »simul ligamentis uteri, gravitate descendere potest, »praesertim ubi loca muliebria effluxu aquarum, ex »ruptis foetum involventibus membranis, lubrica ma»gis fuerint reddita, *aut stagnans in utero humorum »colluvies fermentationem subiens aëremque magis »expandens et quasi in flatum resoluta, ad foetum »expellendum una concurrit.*«

»Postea *Haller* (81) haec effatus est: »Credas »eorum foetuum aliquos vel a vi uteri contractili, »post mortem superstiti, in vivis animalibus eviden»tissima et saepe a me in extracto de abdomine utero »visa, vel demum *ab aëre ex putrescentia nato posse «explicari. Flatus enim potuit uterum nunc a morte*

---

(80) Embryolog. pag. 587.

(81) Element. physiol. Tom. VIII. Lib. 29. Sect. 5. §. 7.

»laxum compressisse et evacuasse, ut pressio uteri »foetum elidens, vel impulsus in vasa animalis liquor »faeces alvi exire cogit.«

Mirum autem est, neminem post Hallerum hanc sententiam amplexam latiusque exsecutum esse, donec anno 1820 *Osiander* (82) ad eandem animum attenderet, aëremque extra uterum, in cavo abdominis scilicet, evolutum atque expansum adeo comprimere posse uterum, ut foetus expellatur, processum ergo mere mechanicum esse (83). Alibi hunc processum satis apte vaporem mortis potentem (*Dampfmaschine des Todes*) vocat. Minime vero hanc solam causam partus post mortem esse dicit, sed, uti prius affirmavit, residuam uteri vim vitalem foetum eadem potentia expellere posse contendit, qua inter vitam excludatur. Criterium, utrum foetus post matris mortem natus vitali uteri actione, an gase evoluto exclusus sit, in eo ponit, quod priori in casu uterus foetu expulso non aliter ac vivus sese contrahat, in altero autem sacci inanimati instar expansus et relaxatus inveniatur. quae sententia, ut supra posui, falsis praemissis nititur.

---

(82) Handbuch der Entbindungskunst. Bd. II. 1te Abtheil. Tübing. 1820. §. 26 u. 27.

(83) Jam anno 1819 pater meus in responso forensi, quod dissertationis calci subjunxi, eodem modo rem explicuit, partumque post mortem in casu oblato nonnisi effectibus gasis in tubo intestinali evoluti adscribendum censuit.

Mende (84) hanc opinionem ab Osiandro traditam theoriae parvi existimat. Concedit quidem oblatis conditionibus aërem in utero evolutum expellere posse foetum, pressionem vero gasis in tubo intestinali et abdominis cavo accumulati talem esse affirmat, ut per se nihil praestare valeat.

Wildberg ex parte tantum illi theoriae adstipulatur, quippe qui pressionem dicto aëre effectam adminiculis secundariis, ad juvandam uteri vim contractivam, adnumeret, eamque diaphragmatis et musculorum abdominalium actiones sarcire dicat.

Klaatsch (85) multo quidem disertius illam profitetur sententiam, at seductus casu 14, a patre observato, nec non casu 13, quibus veneficium manifesto antecesserat, denique casu 4, quo haud dubie idem locum habuerat, suspicandum esse putat, tales partus praecipue veneficia sequi, quoniam gasis evolutio citius quam alias oriatur; quamobrem hujusmodi casus medici forensis attentione quam maxime dignos esse contendit. Ceteroquin cum *Mende* consentit, partum, ut uterus post mortem expellat infantem, jamjam coeptum uterique os apertum esse debere.

Niethe, qui in dissertatione supra citata maximam partem sententias a *Mende* et *Klaatsch* prolatas secutus est, gasis evolutionem, salvis aliis

(84) l. c. pag. 139.
(85) l. c. p. 23 qq.

nomentis, ad causas partum post mortem efficientes refert.

Ne unum quidem omnium scriptorum gasis evolutionem putredine inductam pro sola phaenomeni, de quo agitur, causa habuisse, e dictis vides.

At mihi nulla omnium sententiarum hac probabilior et evidentior esse videtur. Licet hoc illove mortis genere, aut variis rebus adventitiis evolutio gasis acceleretur: *deficere* nunquam potest, nam humorum decompositio eam habet comitem. Argumenta igitur supra recensita mihi persuadent, partum post mortem nunquam non sola gasis evolutione perfici. Quid est, quod alias causas in auxilium vocemus, quum partim earum infirmitas commonstrata sit, partim haec, quam equidem defendo, tanta valeat potentia, ut viribus auxiliaribus non opus esse videatur.

Sunt fortasse, qui objiciant: si dicta vero consentanea essent, partus post mortem longe frequentius existeret, at quam raro existit!

Respondenda autem sunt haec:

1) Mulieres gravidas raro morbis consumi, inter omnes constat.

2) Si inter partum obeunt, raro *ante foetum exclusum* mors accedit, ut ab iis discedamus casibus, quibus sectio caesarea protinus post mortem administratur.

3) Non satis attentionis impenditur cadaver bus; foetus omnibus inseiis in ipso loculo pote excludi.

4) Imo, cadavere maturius sepulto, vel putr dine serius accedente, infans in sepulchro expell potest. Quis est, qui hoc cognoscat? Quis com pertum haberet, in casibus 11 et 14 foetum ess editum, nisi magistratus cadaver effodi et secar jussisset? Si sepulchra omnium foeminarum, qua ultimis graviditatis mensibus, aut inter partum citr foetum exclusum obierunt, aliquot post sepulturan diebus indagarentur, fierine posset, ut semper in fans inter matris femora inveniretur?

5) Multi casus haud dubie consulto reticentur Qui enim rei ignari sunt, hoc phaenomenon obstu pescunt, matrem, quia peperit, adhuc vixisse, per peram igitur pro mortua habitam, et experiment vitam reficiendi neglecta esse opinantes. Ne igitu negligentiae accusentur, aut quaestioni implicentur, omnia occultant. Patri meo plura hujusmodi ex empla, inter quae unum de uxore clerici cujusdam, ab hominibus fide dignis secreto enarrata sunt.

TYPIS NIETACKIANIS.

APPENDIX.

Befundbericht nebst Gutachten, betreffend die Todesart der Ehefrau des Kossathen *Rheinsdorff* zu Walternienburg.

Am 5. August d. J. wurde ich, der unterzeichnete Kreisphysikus, von den Herzogl. Anthalt-Dessauischen Wohllöblichen Amtsgerichten zu Walternienburg mittelst Schreibens vom vorigen Tage aufgefordert, mich so schleunig wie möglich mit dem Kreischirurgus nach Walternienburg zu begeben, indem in einer Untersuchungs-Sache, die Vergiftung der Rheinsdorffschen Ehefrau betreffend, die Ausgrabung des Leichnams und dessen legale Obduction nöthig sei.

In meinem Antwortschreiben, in welchem ich die Obduction auf den 7. August frühmorgens anzusetzen bat, trug ich zugleich darauf an, einen zuverlässigen Apotheker aus der nur 1 Meile von Walternienburg entlegenen Stadt Zerbst zu requiriren: mit den erforderlichen Reagentien versehen Behufs der nö-

thigen chemischen Untersuchung, sich zu gleicher Zeit an Ort und Stelle einzufinden, damit das ganze Geschäft hinter einander abgemacht werden könne.

Der Sicherheit wegen und um dem möglichen Vorwurf auszuweichen, dafs kein von Preussischer Behörde approbirter Apotheker zugezogen sei, hielt ich es indessen für rathsam, auch noch den mitunterschriebenen hiesigen Apotheker *Nithack* zu ersuchen, sich diesem Geschäft zu unterziehen.

Zu dem Ende verfügten wir drei Unterschriebene, nämlich:

ich, der Kreisphysikus Dr. *Maizier*,

ich, der Chirurgus *Reinsdorff*, Namens des durch Krankheit verhinderten Kreischir. *Locher*, und

ich, der Apotheker *Nithack*

uns am 6ten Aug. nach Walternienburg, wo wir denn den 7ten Aug. Morgens um 7 Uhr auch den mitunterzeichneten Apotheker *Giebelhausen* aus Zerbst antrafen.

Bevor wir zur Obduction schritten, wurden uns die bis jetzt verhandelten Acten zur Einsicht vorgelegt, aus welchen wir das hierher Gehörige voraus schicken.

I. *Aus den Acten sich ergebende Umstände, die auf die Todesursache der Verstorbenen das erste Licht werfen.*

Seit acht Jahren ist der Kossath *Rheinsdorff*

mit seiner Ehefrau, geb. *Bruchmüller*, verheirathet gewesen. In der ersten Zeit haben sie verträglich mit einander gelebt, seit anderthalb Jahren aber entstand öfter Zwiespalt unter ihnen, denn der pp. Rheinsdorff schien im unerlaubten Verständnisse mit seiner Dienstmagd *Friederike Könnecke* zu sein, trat jederzeit auf ihre Seite, wenn seine Ehefrau unzufrieden mit ihr war, drohete seine Frau deshalb zu mifshandeln und gab ihr einmal wirklich einige Schläge über den Arm. So erwachte natürlich bei dieser Eifersucht. — Uebrigens ist die Rheinsdorffsche Ehefrau immer eine gesunde und starke Person gewesen, aufser, dafs sie in der letzten Zeit ihrer Schwangerschaft (denn sie war im siebenten Monat schwanger, als sie starb) angelaufene Füfse hatte.

Ungefähr 4 Wochen vor ihrem Tode musste sie ihrem Ehemann, der auf dem Felde arbeitete, das in einer Suppe bestehende Frühstück hinausbringen und auf sein Zureden das ausessen, was er übrig gelassen. Bald darauf spürte sie Uebelkeit und erbrach sich. Dasselbe Ereignifs wiederholte sich 14 Tage später auf dieselbe Weise. An ihrem Todestage, also wieder 14 Tage nachher, wurde ihr von ihrem Manne abermals aufgetragen, ihm das Essen frühmorgens aufs Feld zu bringen. Sie weigerte sich und stellte vor, dafs die Anschwellung der Füfse das Gehen ihr sehr beschwerlich mache. Auf sein wiederholtes Andringen indessen

trug sie früh um 5 Uhr ihrem Manne das Morgenessen, nämlich Butter und Brod und eine Brodsuppe hinaus. Während der pp. *Rheinsdorff* mit dem Essen beschäftigt ist, heifst er ihr, eine Schwad Heu zu harken. — Als sie hiermit fertig ist, giebt er ihr die Neige der Suppe zum Ausessen.

Sie ifst, und es stellen sich bald darauf Uebelkeiten und Erbrechen ein. Sie bricht sich beim Zuhausegehen fast das ganze Dorf entlang und klagt über die heftigsten Leibschmerzen. Die mit in ihrem Hause wohnende Mutter vermuthet eine zu frühe Niederkunft, die Hebamme erklärt jedoch, dafs dies nicht der Fall und diese Schmerzen keine Wehen seien. Das Erbrechen dauert fort und selbst als nichts mehr ausgebrochen wird, währet die Neigung dazu fort. Sie schreit über heftiges Leibschneiden und hat ganz kalten Schweiss. — Gegen Abend fangen Hände und Füfse an, kalt zu werden und gegen 8 Uhr Abends giebt sie ihren Geist auf. — Eine Stunde nach ihrem Tode will man bemerkt haben, dafs sie, besonders an den Händen und Nägeln, ganz blau und braun geworden. — Nach 24 und noch mehr nach 48 Stunden war die Leiche ganz schwarz und überall aufgetrieben. —

Es verbreitete sich nun allmählig das Gerücht in der Gegend, die Rheinsdorffsche Ehefrau möge wohl vergiftet worden sein.

Alle diese Umstände ergeben sich aus dem

Protokolle vom 4ten August besonders durch die Aussage der Wittwe *Bruchmüller*, Schwiegermutter des pp. *Rheinsdorff*. —

Vier Wochen waren jetzt vergangen, dafs die pp. Rheinsdorff beerdigt worden. Die Leiche ward nunmehr ausgeerdigt und die äufsere wie die innere Besichtigung auf dem Kirchhofe vorgenommen, da man wegen der zu befürchtenden ansehnlichen Fäulnifs der Leiche dies Geschäft in freier Luft zu verrichten für nöthig fand.

Die ganze Besichtigung wurde in Gegenwart des Gerichts vorgenommen. Auch war der Herr Doctor medicinae *Lieberkühn* aus Barby dabei gegenwärtig. —

II. *Befund.*

A. Anatomischer Befund.

I. *Aeufsere Besichtigung der Leiche.*

